H.I.N. 247680

Sac. Cæs.a M.tas, Dominus noster clementissimus, in-
tellexit ea, quæ ex parte Ill.m Dnorum Comitum de
Gambara, per eorundem in aula sua Imperiali commo-
rantem Procuratorem, Dnum Cæsarem Bartolellum,
Juris utriusq Doctorem, ratione appellationis à senten-
tia Magni Cancellarij Mediolanen. tanq subde-
legati Ill.mi Excellentissimiq Dni Ducis Terræ novæ
Gubernatoris ibidem, interpositæ admittendæ, et Sena-
tui Mediolanen. delegandæ, humiliter petita sunt.
Quoniam verò M.ti suæ pro parte Ill.morum Dnorum
Marchionum de Gonzaga, fratrum, nuperrimè non-
nulla circa hoc negotium appellationis exhibita
fuerunt, quæ consideratione haud indigna videntur:
M.tas sua nunc super memorata Dnorum Comi-
tum petitione haud quicq statuendum, sed alle-
gatas p.dictorum Dnorum Marchionum pretensiones ipsi
Dno Doctori Bartolello, ac vice versa novissimas
suas supplicationes iisdem Dnis Marchionibus pri-
us communicandas esse censet, ad hoc, ut audita utraq

parte, Mtas sua tanto rectius superinde decernere
possit, quod rei et aequitati consentaneum erit. Quod
cum eidem Dno Bartolelli benigne significari jussit,
tum vero clementer postulat, ut in termino quatuor-
decim ab hinc dierum ad ea sufficienter respondeat.
Executurus benignam ac omnimodam hoc loco Mtis
suae voluntatem. Decretum in Cons.o Imp.li aulico,
die decima octava mensis Novembris, Anno Domi-
ni Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo primo.

Jacobus Curtius,
à Senfftenau.

A. Benck

Wienbibliothek